C

DE PARTHENIO▸ CAP▸ CCXXI▸

NOMINA.

Cauta. Cotula fœtida.

ΑΡΘΕΝΙΟΝ, ἀμάρανθον, χαμαίμηλον Græcis: Partheniũ, Amaracum, Solis oculus, Millefoliũ Latinis: Thuſcis Cauta, officinis & herbarijs Cotula fœtida dicitur. Germanis Krottendill / Hundßblům / wild Chamillen. Cæterum cogitabunt hoc loco ſtudioſi, Amaracum de quo nunc agimus diuerſum eſſe ab eo quem alio nomine Sampſychon Græci uocant, ut ſuo loco fuſius dicemus.

FORMA.

Folia Coriandro ſimilia habet tenuia. Flores per ambitũ candidos, in medio luteos, odore graui & ſubuiroſo, guſtuq; amaro. Hæc Dioſcoridis deſcriptio pulchrè & per omnia herbæ illi quæ hodie uulgò Cotula fœtida nominatur, reſpondet. Siquidem ea folijs eſt Coriandri tenuibus, flore per ambitum albo, intus luteo, odore graui, & ſapore amaro. Folijs autem Coriandri, non quidem iam erumpentis & paulò antè enati, necdum matureſcentis, quæ ſunt quadantenus lata & ſubrotunda, atque in extremitatibus inciſa: ſed maturi, cuius quidem in alto folia ad Chamæmeli aut Fœniculi foliorum formam accedunt, capillataq; ſunt, conſtare ſcias. Sic enim utriuſque folia ſimilia ſunt, ut Coriandrum Parthenij, & rurſus Partheniũ Coriandri prorſus referre folia uideatur. Quod ut diſertè innueret Dioſcorides, φύλλα λεπτὰ, id eſt, folia tenuia dixit, ut ſcilicet hac uoce latiora, quæ in infima ſunt Coriandri parte, ſecluderet. Quod autem de ijs folijs Dioſcorides locutus ſit, ex tractandi ordine abundè liquet. De tribus ſiquidem herbis, Chamæmelo, Partheno & Buphthalmo, quæ ſanè inter ſe congeneres, atque folijs admodum ſimiles ſunt, ordine agit, quod nunquã feciſſet ſi nulla inter has ſimilitudo intercederet foD liorum, adde etiam florum. Buphthalmũ tamen folijs ad Fœniculi formam propius quàm reliquæ duæ accedit. Sententiam hanc noſtram confirmat, quod aliqui Parthenium, ob ſimilitudinẽ quam habet cum Anthemide, Chamæmelon dixerint. Tam ſimilis enim eſt Chamæmelo, ut frequenter etiam ab imperitis pro illa carpatur. His accedit & hoc, quod ob foliorum tenuitatem nonnullis Millefolium appellatum ſit Parthenium, quod fieri minimè potuiſſet ſi ad latiora Coriandri folia Dioſcorides reſpexiſſet. Præterea eſſe Parthenium Cotulam, nomen quod illi Thuſci indiderunt ſatis declarat: Cautam enim appellauerunt, unde diminutiuũ Cautula deductum eſt, & tandem corrupta uoce Cotula. Fœtidam autem eſſe, gra uis odor qui in ea omnium maximè ſentitur, euidenter declarat. Nequaquã itaq; ea eſſe herba poteſt, quam Matricariã uulgò uocant, ut Hermolaus, & alij multi docti uiri hunc ſequentes putant: quòd huius folia latiora ſint, quàm ut cum Chamæmeli, Buphthalmi aut Coriandri tenuibus folijs cõparari queant, tantum abeſt ut ſimilia ſint. Huc accedit, quod omnium maximè euertere uidetur aduerſariorũ ſententiam: nemo unquam ex recentioribus Matricariæ herbæ bilis & pituitæ per inferna tractricem facultatem tribuit, quam tamen Parthenio Dioſcorides, Paulus & alij ueteres aſsignant, ut etiam hoc nomine Parthenium non poſsit eſſe Matricaria herba dicta uulgò.

Cotula uox unde deducta.

Parthenium nõ eſt Matricaria.

LOCVS.

Naſcitur inter ſegetes & iuxta ſemitas, intermixta ferè ſemper Chamæmelo. In hortorum etiam ſepibus, Plinio teſte, prouenit.

TEMPVS.

Primo ſtatim uere, Maio potiſsimũ menſe, erumpit, ac totam æſtatem durat.

TEMPERAMENTVM.

Haud inſtrenuè, Galeno autore qui Amaracum uocat, calefacit, non autem uehementer deſiccat. Itaq; in caliditate tertij eſt ordinis, in ſiccitate uerò ſecundi.

VIRES.

PARTHENIVM